

acta essent percunctarentur. Et ut quisque audierat exercitum hostium imperatoremque occisum, legiones Romanas incolumes, salvos consules esse, extemplo aliis porro impertiebant gaudium suum. Cum aegre in curiam perventum esset, multo egrius summoti turba, ne patribus misceretur, litterae in senatu recitatae sunt. Inde tracti in contionem legati. I. Veturius litteris recitatis ipse planius omnia, quae acta erant, exposuit cum ingenti adsensu, postremo etiam clamore universae contionis, cum vix gaudium animis caperent. Discursum inde ab aliis circa templa deum, ut grates agerent, ab aliis domos ut coniugibus liberisque tam laetum nuntium impertirent. Senatus, quod M. Livius et C. Claudius consules incolumi exercitu ducem hostium legionesque occidissent, supplicationem in triduum decrevit. Eam supplicationem C. Hostilius praetor edixit. Celebrata a viris feminisque est; omnia templa per totum triduum aequalem turbam habuere, cum matronae amplissima veste cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutae metu deis immortalibus grates agerent. Statum quoque civitatis ea victoria firmavit, ut iam inde haud secus quam in pace res inter se contrahere... C. Claudius consul cum in castra redisset, caput Hasdrubalis, quod servatum cum cura

alii comites eius, quae acta essent percunctarentur. Et ut quisque audierat exercitus hostium caesos imperatoremque alterum occisum, legiones Epiroticas incolumes, salvum principem Scanderbegum cum suis castrorum praefectis, extemplo aliis porro impertiebant gaudium suum. Cum aegre in curiam perventum esset, multo aegrius summoti turba, ne principibus miscerentur¹, litterae in curia lectae sunt. Inde Tanusius litteris perlectis ipse plenius omnia quae acta erant, exposuit cum ingenti assensu, postremo etiam clamore universae curiae, quum vix gaudium animis caperent. Discursum inde ab aliis circa templa divina, ut grates agerent, ab aliis domos ut coniugibus liberisque tam laetum nuntium impertirent. Curia et primates, quod Scanderbegus incolumi exercitu ducem hostium cum Ballabano fugato legionesque occidisset, supplicationem in triduum decreverunt. Eam etiam supplicationem uxor Scanderbegi cum consiliariis edixerunt. Celebrata a viris foeminisque. Omnia templa per totum triduum aequalem turbam habuere, cum matronae amplissima² veste excultae cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutae metu Deo immortali grates agerent. Statum quoque civitatis ea victoria composuit ac si perpetuam pacem comparassent omnes.

¹ Errore nella I ed.: misererentur.

² Errore nel testo: amplissimae.